

nationem, vel aliud quodcumque remedium sufficiens ad fugiendam illam peccati occasionem, obsequium patris dimitti. Unde, si præcise ac formaliter loquamur, illa non est exceptio, quia tunc non cessat obligatio ad parentes ex causa religionis, sed ex alia universaliori.

22. *Notandum vero est etiam in eo casu non cessare in filio obligationem subveniendi parenti, si loco distans possit, vel quolibet alio modo.* — Ex quo ulterius mihi occurrit addendum, ob hanc causam non omnino cessare obligationem ad subveniendum parenti, sed solum quantum necesse sit ad vitandam illam occasionem peccati; ita ut si filius permanens in seculo, loco distans a parente, possit lucrando illi per alios deservire et subsidium ferre, et in religione non hoc possit, adhuc teneatur non ingredi, sed parenti subvenire; vel si ingrediens religionem inde possit illi succurrere, teneatur hanc curam non dimittere. Ratio est, quia filius in eo casu solum potest deserere parentem propter vitandum suum scandalum passivum; ergo solum potest tantum illum deserere, quantum necesse sit ad vitandum illud scandalum; ergo si illo sublato superest medium sufficiens ad subveniendum necessitati parentum, integra manet obligatio. Neque etiam refert quod parens, dando scandalum filio, videatur fieri indignus obsequio ejus; fit enim indignus apud Deum, non tamen apud filium, qui non est vindex illius peccati sui parentis, nec propterea potest illum privare jure suo, sed solum potest se immunem servare, occasionem peccati fugiendo. Item, quia ex præcepto diligendi inimicos tenemur illis subvenire in extrema et gravi necessitate, non minus quam si nullum malum nobis intulissent; ergo similiter filius tenetur diligere patrem sibi inimicum inductione ad malum, non minus quam si tale malum ei non intulisset (scilicet, quoad dilectionem præceptam); ergo ex vitalis dilectionis æque tenetur necessitati ejus subvenire, si possit id facere vitando inductionem ad malum.

23. *An filius quando a patre provocatur ad peccandum, teneatur illum deserere etiam in gravi necessitate constitutum.* — Propter quas rationes incertum mihi est, quod secundo loco Cajetanus ait, quando filius provocatur a parente, non tamen ab eo inducitur, posse quidem, si velit, illum deserere, et religionem ingredi, non tamen teneri, si moraliter certus sit provocationem parentis sibi non esse mo-

ralem occasionem, ratione ejus constituitur in morali periculo peccandi. Ita enim intelligenda est hæc posterior pars, alioquin statim haberet locum illa regula: *Qui amat periculum, peribit in illo*; ac propterea tenebitur filius non solum inductionem, si illam expertus est, vitare, sed etiam provocationem, si ex illa sentit, vel probabiliter timet morale periculum; quod quia magis humanum est et morale, ideo regulariter verum est, provocationem sufficere ut teneatur filius vitare obsequium parentis provocantis se ad malum. Sicque intelligo illa verba D. Thomæ, d. art. 4, ad. 1: *Si parentes nostri nos provocent ad peccandum, et abstrahant a cultu divino, debemus quantum ad hoc eos deserere et odire.* Quod enim dicit, *quantum ad hoc*, non solum intelligit, prout significat Cajetanus, quantum ad consensum illis non præbendum, sed etiam quoad eos fugiendos quantum necesse sit, ne nos provocent; nam de hoc modo vitandi parentes potissime loquebatur.

24. *Non tenetur in eo casu deserere ratione sui.* — Nihilominus tamen ex illa hypothese (quæ prudentis viri arbitrio in multis casibus moralibus admittenda est) veram existimo Cajetani sententiam, quod non teneatur filius ratione sui vitare tunc obsequium patris, ne ab ipso provocetur, quia jam talis provocatio ipsi non est mala moraliter; ergo non tenetur illam vitare; ergo neque obsequium ratione illius. Addidi vero particulam illam, *ratione sui*, licet Cajetanus eam omiserit, quia dubitari potest an propter vitandam spiritualem ruinam ipsius parentis teneatur filius eum fugere; nam ipsamet provocatio, quæ filio non est ruina, parenti est ruina, ut patet in exemplo Cajetani de filia, quæ dum parenti ægotanti inservit, ab ipso provocatur, nam licet ipsa non cadat, pater jam cecidit; ergo propter hunc lapsum patris vitandum potest obligari filia ad deserendum patrem, tum quia est majus malum illius quam necessitas corporalis, tum etiam quia videtur ipsa esse aliquo modo causa vel occasio illius.

25. *Nullo modo est filius in eo casu ad patrem deserendum obligandus; si vero potest facile per alium, vel alio modo subvenire parenti, tenetur illum relinquere.* — Nihilominus etiam hoc titulo non censeo talem obligationem esse filio imponendam, quia ipse non est causa illius nocimenti patris, quia non præbet illi scandalum activum, sed permittit passivum, quod alter sua malitia accipit. Nec tenetur illud vitare, cum habeat rationabilem causam,

et moraliter necessariam, propter quam ibi assistat, et illud munus exerceat. Et quamvis spirituale nocumentum majus sit quam temporale, tamen hoc posterius solet esse magis irreparabile, et alioquin magis pertinet ad obligationem filii obsequium præbere parenti indigenti temporali subsidio; quapropter potest permittere aliud malum, ut ministerium suum exerceat; quanquam si facile possit simul consortium parentis vitare, et ejus necessitati sufficienter subvenire, per alium ei necessaria ministrando, profecto ad id obligandus est, quia, ut ego existimo, charitas non solum obligat ad non dandum proximo scandalum activum, sed etiam ad vitandum passivum, quando tali negotio, et alias obligationes simul implendo id fieri potest; quia tunc sine rationabili causa permetteretur tantum malum proximi, vel potius contemneretur vita animæ ejus; ergo hæc obligatio multo gravior et fortior est in filio respectu parentis. In eo autem casu nulla est ratio permittendi tantum malum in parente, nam alia via potest ejus necessitati sufficienter provideri; ergo tunc tenetur eo uti medio, quo et necessitatem patris sublevet, et omnem peccandi occasionem illi auferat; quando vero tale medium non occurrat, vel non sine magna difficultate et incommodo adhiberi potest, tunc non tenetur filius omnino deserere patrem propter prædictam occasionem.

26. *Dubium est an in eo casu, quamvis filius non teneatur, possit tamen licite deserere parentem.* — *Affirmat Cajetanus.* — Jam vero occurrit dubitatio circa alteram partem a Cajetano positam, esto non teneatur filius in eo casu patrem deserere, an possit licite. Cajetanus enim absolute affirmat, dicens: *Quamvis propter ipsius demerita potest illum relinquere, si non vult cessare a provocatione.* Quæ ratio his verbis insinuata mihi non satisfacit, quia, ut in proximo puncto dicebam, filius non est vindex demeritorum patris; deserere autem illum in necessitate solum propter demerita, esset punire illum propria auctoritate; ergo hoc titulo non licet. Confirmatur ac declaratur, quia, licet pater per eadem merita fiat indignus beneficio, non tamen ipso facto, ut sic dicam, amittit jus suum; ergo, non obstantibus illis demeritis, charitas et pietas eodem modo obligant ad subveniendum illi. Nihilominus ob aliam rationem possumus excusare filium, ne cum tanto onere teneatur parenti inservire, quia non tenetur perdurare in quadam continua spiritali pugna illata

sibi ab ipsomet parente; est enim res valde ardua, et de se periculosa, nisi homo persistat in quadam perpetua vigilia et oratione; non tenetur autem filius cum tanto onere parenti subvenire, maxime cum ab ipsomet parente tale onus et difficultas proveniat. Et fortasse hoc modo consideravit Cajetanus demerita parentis, scilicet, non tantum quatenus secundum se sunt digna pœna, hoc enim non satis esset, ut recte probat ratio facta; sed etiam quatenus in maximum gravamen ipsius filii redundant. Et hic etiam adjungi potest spirituale commodum quod in patrem redundat, si ei talis occasio auferatur: nam in rebus moralibus singula, quæ per se non sufficiunt, conjuncta possunt excusare. Ita ergo probabile est, etiam secluso periculo consentiendi, posse licite filiam, quæ provocatur a patre alioquin indigente, illum deserere, tum ne ipse tam turpiter labatur; tum etiam ne ipsa in quodam perpetuo spiritali bello injuste cogatur.

27. *Si filia vel filius habeat votum religionis, et in eo casu deserat patrem, tenetur implere votum, et ingredi religionem.* — Sed quæres an, si talis filia aliunde habeat votum religionis, ratione illius obligetur ingredi, non obstante necessitate patris; vel an tunc etiam liberum illi sit eligere quod maluerit, ita ut hæc exceptio addenda sit regulæ generali superius positæ. Respondeo probabiliter admitti posse hanc exceptionem; quia si in eo casu filius excusatur ab obligatione, ut possit patrem deserere, illud est in favorem suum, ut non cogatur cum tanto onere et spiritali gravamine patri assistere; ergo hoc est quasi privilegium ejus, quod non debet in ejus gravamen et onus converti, nec etiam debet cogi in usum ejus; ergo si illo uti non vult, non tenebitur religionem ingredi; si autem vult, ingredi etiam poterit. Neque hæc est propria exceptio; nam regula posita solum fuit, necessitatem parentis, quæ per se non obligat ad subveniendum parenti, non excusare ab obligatione voti; in præsentem autem necessitas revera per se obligabat, excusatio vero aliunde per accidens provenit in favorem filii, et ideo si ipse nolit illo uti, sed cedere juri suo, non est cur cogatur votum implere. Hoc autem cum hac moderatione verum censeo, scilicet, si talis filius patri inservire velit; nam si illum deserat, non video quomodo excusari possit quominus votum impleat, quia tunc in re ipsa et actu, ut sic dicam, nullum habet impedimentum: oportet



ergo ut vel naturali præcepto implendo insistat, etiamsi excusari possit, vel si excusatione utitur, votum impleat. Sic enim sæpe contingit, ut qui propter impedimentum excusabatur ab onere alicujus præcepti, quamvis per privilegium auferatur ei tale impedimentum, teneatur statim implere præceptum, ut audire Missam tempore interdicti. Neque hoc reputatur gravamen, cum ad majus bonum spirituale pertineat; quod si in præsentia aliquod gravamen est, ex propria voluntate nascitur, qua se voluit obligare absolute et simpliciter ad ingressum religionis, et postea etiam voluit non admittere impedimentum, quo posset a tali obligatione excusari.

28. *Dubium est in hac materia, an sit idem dicendum in provocatione ad peccata venialia. — Resolutio vera.* — Sed quæret adhuc aliquis circa hoc punctum, an sola inductio vel provocatio ad peccata venialia sit sufficiens ratio hujus excusationis; nam si fundamentum adductum solidum est, videtur etiam de veniali peccato procedere, nam etiam venialiter peccandum non est propter salutem patris, nec propter quaecumque aliam causam. Respondetur cum eadem distinctione de inductione et provocatione; nam de priori efficaciter videtur procedere dicta ratio. Ne tamen id nimium videatur, limitare id possumus, ut procedat de scandalo, seu inductione directa; nam si pater directe inducit filium ad mentendum, vel quid simile, non potest nec debet illi obedire. Quod si aliter non potest inductionem vitare, debet patrem potius deserere, etiam in necessitate; debet, inquam, sub reatu tantum venialis culpæ, cum periculum majus non sit. At vero si inductio non est directa, sed ex accidenti, ut, verbi gratia, quia pater actionibus suis provocat filium ad impatentiam venialem, vel exemplo ad ludum, etc., non existimo esse illam sufficientem excusationem. In quo potest constitui differentia inter peccata venialia et mortalia, nam si peccatum est mortale, quacumque ratione pater ad illud filium inducat, sive exemplo, sive verbo, sive directe, sive indirecte, si de facto est illi moralis occasio peccandi, justa ratione potest et debet a filio deseri, juxta superius dicta. At vero quando peccatum est tantum veniale, et inductio etiam solum est indirecta per exemplum, vel alio simili modo, tunc non solum non videtur filius obligandus, etiam sub veniali culpa, ad deserendum patrem, verum etiam nec sufficiens ratio excusationis illa esse videtur; quia similis occasio in una

vel altera materia vix potest humano modo excusari in quocumque statu, et in quorumcumque hominum, præsertim secularium, diuturna et familiari consuetudine. Item, quia tunc pater nec propriam injuriam aut magnam vim filio infert circa talia peccata, et alioquin filius absolute potest in eo actu non imitari parentem, seu occasione non consentire; quod si ex fragilitate non possit omnia vincere, illud non est magnum detrimentum, maxime cum fere idem timere possit in quolibet alio vivendi modo. Ergo, pensatis omnibus, non est moraliter hæc excusatio admittenda, alioquin fere omnino enervaretur hæc naturalis obligatio, semperque possent filii a parente excusationem prætere.

29. *Idem dicendum, si filius impediatur ab operibus perfectionis.* — Atque idem dicendum censeo de impedimento operum perfectionis. Est enim valde considerandum, quod, licet teneatur filius aliquando propter parentem non assumere statum perfectionis, nunquam tamen tenetur propter parentem non tendere ad perfectionem, opera consilii et perfectionis exercendo; sunt enim hæc duo valde diversa, nam extra statum perfectionis potest acquiri perfectio, et licet obsequium parentis sæpe repugnet cum statu perfectionis, non tamen repugnat, quantum est ex se, cum perfectione ipsa, quia virtus non potest repugnare perfectioni virtutis. Et hæc videtur mihi propria ratio a priori, ob quam obligatio ad succurrendum parenti non cessat propter affectum ad ingressum religionis, quia bonum simpliciter hominis non consistit in statu perfectionis, sed in perfectione ipsa; hæc autem non excluditur, propterea quod status religionis non assumatur, nam serviendo patri indigenti potest ad perfectionem tendere si velit. Quod autem in eo vivendi modo difficilius id acturus sit, quam si statum ipsum assumpsisset, accidentarium est, nec ob eam causam debet cessare obligatio præcepti, sed ipse animari debet ad difficultatem vincendam, si velit esse perfectus. Ex hoc autem principio aperte colligimus non posse parentem cogere hujusmodi filium ad non faciendam opera perfectionis, quæ cum debito sibi obsequio non repugnant; si enim repugnarent, jam in tali persona ad ejus perfectionem non pertinebunt. Probat, quia in hoc magnum inferret nocumentum filio in re sibi non necessaria, et circa quam nullum habet naturale jus: nam in his quæ ad bonum suæ animæ spectant, filius est omnino juris sui. Quo-

circa, si pater in hoc tentaret vim filio inferre, aut ita provocaret, ut eum induceret ad omittenda perfectionis opera, ut ad non servandam, vel vovendam perpetuam continentiam, vel quid simile, haberet filius sufficientem causam evitandi consortium parentis, etiamsi illum deserere necesse esset; quia magnam injuriam et nocumentum ab ipso pateretur, a quo non posset aliter se defendere, cum tamen jus se defendendi habeat. Si autem pater ad hoc filium non cogat, neque directe inducat, indirecte autem per vitæ exemplum, vel alio modo occasionem illi præbeat omittendi talia opera, non erit illa sufficiens ratio excusationis, ut a fortiori constat ex dictis de peccato veniali.

30. *Difficultas est, an filius deserere parentem licite possit ingrediendo religionem, si timeat probabiliter se non posse in seculo manere sine morali periculo peccandi mortaliter, quin parens ullo modo ad id præbeat occasionem.* — *Afferunt multi.* — Hinc vero difficultas nascitur circa aliam exceptionem a proposita conclusione, quam etiam diximus communiter assignari, scilicet, si filius probabiliter timeat se non posse manere in seculo sine gravi et morali periculo peccandi mortaliter, posse licite ingredi religionem, non obstante patris necessitate, etiamsi periculum illud nullo modo a patre proveniat, nec directe, nec indirecte, sed ex aliis humanis occasionibus, etiamsi patrem in quacumque necessitate relinquat; ita sentiunt auctores citati, Sylvester, verbo *Religio*, 2, quæst. 7; Cordub., in *Summa*, q. 14, art. 1; Alens., 3 p., q. 31; et D. Thom., in *Quodlib.* 3, art. 16, et *Quodlib.* 10, art. 9, id satis expresse asseruit: at vero in 2. 2, de hoc casu non ita expresse loquitur, sed tantum de priori, ut patet q. 101, art. 4, et ad 1 et 3, et q. 189, art. 6, nam hoc posteriori loco nullam limitationem adhibet, in prioribus vero solum ponit supradictam, quando pater inducit filium ad malum; ibi tamen in corpore hoc insinuat, dum ait: *Si cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, jam non erit pietatis parentum insistere cultui contra Deum.* Et hæc est ratio hujus limitationis, quia teneatur plus diligere Deum quam parentes, juxta illud: *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Insistere autem obsequio parentum cum morali periculo peccandi mortaliter, esset parentem Deo præferre; ergo. Præterea, quia nemo tenetur subvenire parenti cum tanto detrimento suo, quia nec cum morali periculo mortis corporalis te-

netur illi subvenire; ergo multo minus tenebitur cum simili periculo mortis spiritualis.

31. *Ratio difficultatis declaratur.* — Circa hanc ergo doctrinam, ut dicebam, nascitur ex dictis difficultas, quia pater in eo casu non est ullo modo causa talis periculi filii, et alioquin semper est in potestate et libertate filii cum divina gratia illud periculum superare (in quo est magna differentia inter mortem spiritualement et corporalem); cur ergo privandus pater in eo casu jure suo et obsequio sibi debito, et non potius cogendus est filius et ut patri inserviat, et ut omnem diligentiam adhibeat ad excusandam vel superandam quacumque occasionem peccati? Quando enim pater est in causa, merito filius ab eo se defendit, et pater juste deseritur; quando vero pater nullo modo est causa, sed aliunde ex accidenti provenit, quod humanum est, non videtur vitanda occasio cum injuria parentis, sed aliter superanda. Confirmatur, quia si hæc excusatio admittitur, regulariter loquendo, omnis filius ab hac obligatione excusabitur, quia omnes dicent, et moraliter non sine fundamento, se non posse manere in seculo sine periculo peccandi mortaliter.

32. *Resolutio dubii.* — Quapropter difficile censeo limitationem hanc ad praxim applicare, ideoque rarissime admittendam esse, nisi ubi hæc omnia concurrerint. Primum, ut periculum extraordinarium sit, nam si ordinarium periculum, quod est in seculo, sufficeret, supervacanea esset tota doctrina data. Item si illud periculum non satis est ut homines obligentur seculo deserere, et fieri religiosi, cur debet satis reputari ut excusentur ab obligationibus honestis ab ipsa natura datis? Deinde necessarium est ut periculum sit de materia certa et determinata; nam si solum sit confuse seu vage periculum peccandi, nunc in hac, nunc in illa materia, prout offerri contingit, non excedit ordinarium periculum peccandi, quanquam contingat hoc periculum esse majus in una persona quam in alia; quod non satis est ad prædictam excusationem. Præterea oportet speciale periculum esse innatum ex circumstantiis inseparabilibus ab obsequio paterno; nam si separari possunt, tenebitur potius tales circumstantias vitare, nam hoc modo vitabit periculum, et observabit naturale præceptum. Denique, necessarium existimo periculum tantum esse, ut obliget hominem ad ingressum religionis, si aliter illam occasionem peccandi auferre non potest; quia, ut dicebam, si periculum non obligat



ad fugiendum, cur debet excusare aut dare licentiam fugiendi cum tanto detrimento parentis, et quodammodo contra naturalem obligationem? Quod si aliter posset illam occasionem vitare, quam ingrediendo religionem, semper tenebatur succurrere parenti quantum possit, quomodocumque in seculo maneat; quia ergo hæc omnia concurrere vix morale est, ideo magna prudentia necessaria est ad admittendam in particulari talem excusationem, etiamsi speculative admittatur. Et hæc sufficiunt de primo puncto; nam ex dictis satis responsum est ad rationes dubitandi in principio positas, et ad fundamenta prioris sententiæ.

## CAPUT VI.

UTRUM PROPTER FILIORUM AUT FRATRUM NECESSITATEM TENEAUTUR QUIS NON INGREDI RELIGIONEM.

1. *Communis sententia est, parentem non posse, omissa filii cura, vel in necessitate relictæ, deserere illum, aut ingredi religionem.*—Sequitur dicendum de obligatione parentis ad filios, an, scilicet, pater teneatur non ingredi religionem propter necessitatem filiorum. In qua re communis resolutio est, majorem esse in hoc genere obligationem patris ad filium, quam e contrario; filius enim, ut D. Thomas supra dicit, non obligatur per se ad alendum seu honorandum parentem, nisi per accidens ratione necessitatis; pater autem non ex accidenti tantum, sed per se ratione sui muneris tenetur alere et instituere filium, quia est principium ejus. Unde fit ut, non solum quando filius est in necessitate, sed etiam absolute non possit pater ingredi religionem omissa filii cura, nisi et sufficienter de rebus necessariis illi provideat, et per alios illum instituere, vel sufficienter ejus curam gerere possit; ita D. Thomas 2. 2. quæst. 189, art. 6; D. Anton., 3 p., tit. 16, cap. 2; Turreer., cap. 1, art. 1, num. 2, dist. 30, et alii. Ratio est eadem cum proportionem quæ in superiori puncto tacta est, quia hæc est naturalis obligatio ex naturali præcepto, et ideo omitti non potest propter opus vel statum non præceptum. Unde in Concilio Gangrensi, quod refertur dist. 30, cap. 14, sic statutum est: *Si quis dereliquerit proprios filios suos, et non eos aluerit, et quod pietatis est, necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentie negligendos putaverit, anathema sit.* Cui consonat illud Pauli, 1 ad Timoth. 5: *Qui*

*suorum maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, et infideli deterior.* Atque hæc doctrina sumitur ex D. Thom. 2. 2, quæst. 101, art. 2, ad 2, et quæst. 189, art. 6. Ut autem hæc doctrina generaliter vera sit, subintelligenda est conditio, nisi jam parens suo muneri satisfecerit, et illud veluti jam deposuerit; tunc enim alia regula adhibenda est.

2. *Tradita doctrina intelligitur de obligatione erga filium nondum emancipatum.*—Unde ad hoc magis explicandum duplex status filii distinguendus est: unus est, quamdiu filius est sub cura parentis; alius est, quando jam est emancipatus. In priori statu consideratur proprie sub ratione filii, id est, sub actuali subjectione ad patrem, et quatenus est veluti pars ejus, et ideo de filio sic considerato procedit doctrina data, ut constat ex fundamento ejus, et sic generaliter vera est. Filius autem emancipatus jam non est sub cura parentis, sed gerit se ut persona omnino sui juris, et condistincta, ut sic dicam, et ideo jam non tenetur pater, per se loquendo, alere aut instituere hujusmodi filium, sed supponitur hoc sufficienter fecisse, quando illum emancipavit, et in hoc sensu dici potest jam absolvisse, et exuisse munus et officium patris. Ex quo plane sequitur per se non teneri non ingredi religionem propter curam vel sollicitudinem alendi aut instituendi hujusmodi filium, quia jam illa obligatio naturalis finita est; non enim erat perpetua, sed pro statu naturalis indigentiae filii. Nihilominus tamen existimo ratione necessitatis obligari patrem ad filium emancipatum, eodem genere obligationis quo ipse filius obligatur subvenire parenti in necessitate constituto. Ratio est, quia non minus obligatur pater ex charitate et pietate naturali ad subveniendum filio in necessitate constituto, quam filius teneatur succurrere parenti, quia secundum ordinem charitatis, vel in hac obligatione sunt æquales, vel certe plus pater tenetur diligere filium, quam filius patrem, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2, q. 3, art. 9. Item, quia cum vinculum inter patrem et filium reciprocum sit, etiam obligatio debet esse reciproca, cæteris paribus, quoad statum et quoad necessitatem; si ergo filius etiam emancipatus tenetur succurrere parenti in necessitate existenti, ergo etiam pater tenetur succurrere eidem filio in simili necessitate existenti, etiamsi emancipatus sit; ergo sicut filius non potest licite religionem ingredi, deserendo patrem in necessitate existentem, ita nec pater relinquendo filium,

etiam emancipatum, in simili necessitate. Quocirca, licet patris obligatio ad filium sit per se, et illa impleta intelligatur, quando pater sufficienter filium educavit, eique providit, tam in præsentem quam in futurum, non propterea excluditur quin postea etiam possit per accidens obligari ob necessitatem filii, quia paternum vinculum non fuit extinctum, et in hoc fundatur talis obligatio. Quapropter cætera omnia, quæ de obligatione filii dicta sunt, ad hanc patris obligationem possunt applicari, cum sit æqualis seu proportionalis ratio.

3. *Dubium est an frater teneatur non ingredi religionem, ut possit subvenire fratri in necessitate.*—*Prima conclusio.*—Tertium punctum erat de obligatione ad fratres ratione necessitatis. Nam per se certum est fratrem non obligari ad alendum vel educandum fratrem, etiam minorem natu, quia non est principium ejus; at vero ratione necessitatis obligari potest unus fratrum ad subveniendum aliis; et tunc est dubium an in eo casu possit licite frater ingredi religionem, non obstante fratrum necessitate. Videtur enim ex dictis sequi non posse, applicando illud principium, quod præcepti obligatio prætermitti non potest propter voluntarium consilii opus; nam in hoc etiam casu, secundum se et in mero jure naturali spectato, intercedit naturalis obligatio inter fratres. Nihilominus nec D. Thomas nec alii auctores extendunt hanc obligationem ad fratres inter se, eamque assignant ut propriam parentum et filiorum inter se. Possumus autem distinctione uti; nam vel fratres sunt adhuc sub cura parentis, et sic censentur augere necessitatem et indigentiam ejus, ideoque ratione parentis obligari quis potest etiam ad fratres suos, quia tunc considerantur ut pars ejusdem parentis; et quia sub necessitate parentis includuntur omnia, quæ pertinent ad statum et munus suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens filiorum educatio. Quapropter si mater, verbi gratia, vidua, plures filias virgines habens sub cura et obligatione sua, haberet necessaria ad suam sustentationem, non tamen ad convenientem educationem filiarum, et ad collocandas illas in decenti statu, moraliter censeretur esse in gravi necessitate, in qua non posset licite a filio deserere propter religionis ingressum, si alioquin posset illi necessitati providere, propter rationem jam tactam.

4. *Secunda conclusio.*—At vero si fratres

xv.

per se considerentur separati a parentibus jam defunctis, non obstante gravi necessitate fratrum, posse unumquemque licite ingredi religionem. Probatur a fortiori ex his, quæ diximus supra de avo existente etiam in extrema necessitate; non est enim major obligatio ad fratrem quam ad avum, imo videtur esse minor, quia minus habet frater ad fratrem quam nepos ad avum, quia hic saltem mediate habet esse ab illo, fratres vero solum habent concomitantiam, vel similitudinem emanationis ab eodem principio, quæ non videtur esse tanta connexio, ut ratione illius obligetur frater ad subveniendum fratri cum tanto rigore et discrimine. Item explicatur in hunc modum, quia obligatio unius fratris ad alium non est veluti ex justitia ratione proprii juris, vel naturalis subjectionis, quam unus frater habeat in alium, sicut est obligatio inter patrem et filium; sed est obligatio charitatis, major quidem quam sit inter extraneos ratione majoris conjunctionis, non tamen excedens modum illius obligationis; ergo, licet instante necessitate de præsentem, vel ad breve tempus, posset esse aliqua obligatio subveniendi fratribus, etiam differendo ingressum religionis, quia moraliter illud nocuum pro nihilo reputatur, tamen non potest frater obligari ad expectandum longo tempore, ut in futurum fratribus provideat, quia charitas vel misericordia per se ad hoc non obligant cum illo detrimento, quod moraliter grave reputatur. Est autem hæc causa valde rationabilis ad differendum vel omittendum ingressum religionis, quia ex se illud opus est magnæ charitatis, et ex natura rei habet magnam decentiam, etiamsi non proveniat ad gradum et rigorem obligationis.

5. *Tertia conclusio.*—Unde aliqui viri docti existimant, quod, licet quispiam habeat votum religionis, quod ex se jam obligat, tuta conscientia posse differre ingressum ob hujusmodi necessitatem fratrum, etiam sine dispensatione, ad judicium viri prudentis. Ego vero solum existimo illam esse legitimam causam dispensationis, sine illa vero non licere prætermittere voti obligationem propter illam solam causam. Quia, ut supra dixi, voti obligatio prætermitti non potest propria auctoritate, nisi ipsa prius cesset; non cessat autem ex se seclusa dispensatione, nisi quando materia ejus ratione novæ mutationis vel fit incapax obligationis voti, vel certe moraliter creditur non cecidisse pro eo casu sub inten-